

unitas *idealis* unquam fieri poterit *realis*, et quid in futuris sæculis emersurum sit è tot ac tantis, quibus assistimus, rerum vicissitudinibus ac commotionibus certè majoribus quàm quæ olim apud nos, post divisionem feodalem, unitati nationali viam pararunt; — nos nescimus, Deus scit (1).

CAPUT QUARTUM.

DE EFFICACIA AUCTORITATIS IN ECCLESIA CHRISTI.

E consilio Dei in Scripturis et Traditione declarato, assistentia Christi in Ecclesiâ efficaciam habitura est non modò *negativam*, nempe, ut Ecclesia ab errore præservetur, — sed etiam *positivam*, ut illa scilicet scopum suum, qui est diffusio veritatis in mundo et hominum sanctificatio, eminenter semper obtineat. Et, quia duplex inde efflorescere debet nota ad veram Ecclesiam oculis præsertim extraneorum ostendendam, *Catholicitas* nimirum et *Sanctitas*, duplex jam nunc instituetur articulus, videlicet, 1^{us} de præeminente Ecclesiæ extensione per mundum, 2^{us} de præeminente etiam ejusdem sanctitate.

ARTICULUS PRIMUS.

DE PRÆEMINENTI EXTENSIONE ECCLESIE,

71. — Status quæstionis. — 72. PROPOSITIO : *Vera Christi Ecclesia super singulas christiani nominis societates semper eminebit diffusionem majori, imò et aliquatenus universali.* — 73. — Observationes : Catholicitas hæc debet esse *moralis, exterior, relativa, progressiva, perpetua.* — ** 74. — COROLLARIUM circa majoris Fidelium numeri *indelectibilitatem.* — ** — 75. — OBSERVATIONES circa Ecclesiam tum *in se*, tum *relatè ad genus humanum.*

71. — **Status quæstionis :** — Auctoritas Ecclesiæ, non, sicut olim auctoritas Synagogæ, pro uno tantum

(1) Huc cfr D. L. Veuillot : *Univers*, 9 juil. 1868, cit. ap. *Etudes des P. Jésuites*, dec. 1868, p. 864.

populo instituta est, sed pro universis, ut satis patet ex huc usque allatis; ideoque non Christi doctrina tantum sed et ejus Ecclesia, *de jure, universalis* esse debet seu *catholica* (καθ'ολογ) (1).

Quousque autem, *de facto*, Ecclesia Christi hanc suam destinationem impletura sit; nunc expendendum est.

Etenim nos omnes qui proprio nomine Catholici dicimur, unanimiter generatim tenemus veram Christi Ecclesiam semper inter cæteras Christiani nominis communionem præeminentem fore diffusionem majori, imò et aliquatenus universali, variis è rationibus infra exponendis. — Id porrò negarunt quidem plùs minùsve apertè multi olim hæretici vel schismatici *separatistæ*, id est, ut explicabitur in 2^{da} parte Tractatùs, qui sibi *separatim* veræ Ecclesiæ nomen vindicabant, sicuti v. g. Donatistæ (V. S. August. passim). Ex quo autem omnes ferè Hæretici vel Schismatici *syncretistæ* facti sunt, id est nempe, sese veram Christi Ecclesiam efformare contendunt non jam separatim ab aliis communionibus Christianis, sed unà cum pluribus paucioribus earum ac præsertim cum Ecclesiâ romanâ, ut ipsâ hujus catholicitate suæ parvitati additâ, quasi communi jam prærogativâ, contendantur, illa quæstio multò minùs agitata est. — De quâ nihilo minus sit

72. — **Propositio :** *Vera Christi Ecclesia super singulas christiani nominis societates semper eminebit diffusionem majori, imò et aliquatenus universali.*

Illud enim admittendum est quod 1^o in Prophetiis præsignificatur et in Evangelio innuitur; 2^o in totâ Traditione evidenter supponitur, et 3^o è ratione theologicâ convenientissimum probatur. — Atqui propositio nostra

1^o in Prophetiis præsignificatur : Sic, v. g., ut paucas

(1) V. Suarez : *Defensio fidei cathol.*, l. I, c. xvi, n. 4.

tantum proferamus (V. *Tr. de verâ Reliq.*, n. 78); « *Benedicentur in semine tuo* (hoc est, in Christo) *omnes gentes terræ* » (Gen., XXII, 18, etc.). — « *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda...* » (Malach., I, 11). — Atqui certè talis benedictio, talis oblatio non nisi in verâ Ecclesiâ inveniri possunt. — Ergo hæc diffundenda est *universaliter*. — Et id quidem non aliquo tantum momento sed *permanenter*, ex quo Ecclesia Christi in locum ultimi è quatuor magnis antiquitatis imperiis constituta erit, usque in perpetuum, uti indicatur ex Dan., II, 35, 44: « ... *Lapis, qui percusserat statuum, factus est mons magnus, et implevit universam terram... In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum.* » — Unde etiam concludere est regnum illud, quod est Ecclesia, supra singula alia semper *eminens* fore. — Huc etiam multæ aliæ referri solent prophetiæ, v. g., è Ps. II, XXI, LXXI, etc.; ex Is., XI, XLIX, etc., etc.

Atque hæc omnia in Ecclesiâ implenda fore non modò è sensu ipso demonstratur sed etiam *ex Evangelio innuitur*, v. g. dum Christus asserit Evangelium *prædicandum fore in toto mundo* (Matth., XXVI, 13; itemque XXIV, 14, et Marc., XIII, 10, de quibus V. infra), et Apostolos *ipsi fore testes usque ad ultimum terræ* (Act., I, 8), dum illos mittit *in mundum universum docere omnes gentes et prædicare omni creaturæ* (Matth., XXVIII, 19; Marc., XVI, 15), promittens se, in efficaciam hujus laboris assicurandam, ipsis affore *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*.

Ergo propositio nostra in Prophetiis præsignificatur et in Evangelio innuitur; maximè autem

II° in totâ Traditione supponitur: — Etenim semper et

ubique, à primis Christianismi temporibus, vera Christi Ecclesia quasi proprio nomine dicitur *catholica* (1). — Hanc talem jubemur quotidie profiteri in symbolo Apostolorum: *Credo in Ecclesiam catholicam* (Cfr S. Cyrill. Hierosol.: *Catech. XVIII*, n. 23, suprâ cit. p. 60). — Hoc Patres sibi vindicant quasi proprium cognomen quo distinguantur ab hæreticis: « Christianus mihi nomen; » Catholicus verò cognomen; illud me nuncupat; istud » ostendit; hoc probor; inde significor. » (S. Pacianus: *Epist. I ad Sympronian.*) (2). — Hujus præsertim proprietatis defectu, tanquam ad veram Ecclesiam essentialis, hæreticos et schismaticos confundunt: « Si apud vos » tantummodò (Ecclesiam) esse vultis..., per tot innumerabiles insulas et provincias quæ numerari non » possunt, ubi vos non estis, non erit? Ubi ergo » erit proprietas Catholici nominis, cum inde dicta sit » Catholica, quòd sit... ubique diffusa?... etc. » (S. Optatus: *De schismate Donatist. adv. Parmenianum*; l. I, n. 1). Similiter ratiocinatur et totus in id exscribendus esset S. Augustinus contra Donatistas, (cujus V. speciatim *Epist. ad Catholicos* seu *Lib. de unitate Ecclesiæ*; *L. II contra Gaudentium*; *L. II contra litteras Petil.*; *Epp.* 53, 93; etc., etc.): « Nota est (vera Ecclesia) omnibus gentibus: pars autem Donati ignota est pluribus » gentibus: non est ergo ipsa. » (*Contra litt. Petil.* l. II, c. CIV, n. 239). — Item S. Hieronymus, contra Luciferianos; S. Pacianus, contra Novatianos, etc. Horum denique omnium mentem ita disertè exprimit S. Augustinus ipse aut saltem alius sub ejus nomine scriptor (3): « Ecclesia

(1) Hoc nomen, ap. SS. Patres, primùm apparet in *Epist. S. Ignatii Mart. ad Smyrn.*, c. VIII.

(2) V. ap. Wisemann: *Conf. IX*, p. 957, 958.

(3) V. notam PP. Benedictinorum in cap. librorum de *Symbolo ad Catechum.*; inter opp. S. August., t. VI, ed. Migne, p. 625.

» sponsa Christi est... Totum possidet quod à viro suo
 » accepit in dote. Lege tabulas matrimoniales ejus. Au-
 » dite, hæretici, quid scriptum sit : *Oportebat Christum*
 » *patri et resurgere à mortuis, et prædicari in nomine ejus*
 » *pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes*
 » (Luc., XXIV, 47). Omnes gentes totus mundus est.
 » Ecclesia totum possidet quod à viro suo accepit in
 » dote. Quæcumque congregatio cujuslibet hæresis in an-
 » gulis sedet; concubina est, non matrona... Cognos-
 » catur una sancta et vera regina catholica, cui regnum
 » Christus tale dedit, quòd eam per totum mundum
 » diffundens, ab omni maculâ et rugâ mundans, totam
 » pulchram suo adventu præparavit. » *De Symbolo, sermo*
ad Catech. IV, n. 13. — (1).

Porro hæc omnia thesim nostram manifestè supponunt. — Quæ insuper

III^o è *ratione theologicâ convenientissima probatur, nec unâ tantùm de causâ; siquidem*

1^o ex hâc aliquali universalitate *facti* manifestior fit universalitas *juris* seu destinatio Ecclesiæ ad omnes gentes.

2^o Hinc etiam non adeò obscurum præbetur argumentum assistentiæ divinæ, ex quâ nempe vera Christi Ecclesia aliquam præ cæteris semper et ubique obtinebit efficaciam tot inter populos adeò studiis et moribus diversos.

3^o Præsertim, ex hoc præcellenti atque aliquatenùs universali veræ Ecclesiæ per mundum *splendore*, (utî loquitur

(1) Multa Scripturæ et Traditionis testimonia in eodem argumento V. ap. Pouget : *Institutiones catholicæ in modum catecheseos*, S. 1^a, P. II, c. III, § 5; — vel è S. Augustino præsertim, ap. Nicole : *Préjugés légitimes*, c. VIII, p. 164 et ss. — Totam cæteroquin in hoc Traditionem prosequitur Thomassin : *Tr. de l'Unité de l'Egl.*, t. II, nec non et t. I, 1^{re} P. c. XIV-XVIII; item, *Tr. des édits et autres moyens... pour établir et maintenir l'unité...*, t. I, ubi eadem etiam repetit.

Suarez : *Def. fidei cath.*, l. I, c. X, n. 10) faciliùs poterit *ejus dignitas et majestas cognosci et ab hæreticorum turbis discriminari* (1), ita ut undequaque in eam præ cæteris oculi hominum veritatem quærentium passim convertantur. Quemadmodum enim, ex unâ parte, ad Fidelium utilitatem conveniebat Christum auctoritatem suam infallibilem non in Multitudine ponere sed in Pastoribus, ne Fidelium quisque cogeretur dignoscere per se doctrinæ veritatem (V. suprâ p. 96); neque in Corpore Pastorum tantùm, sed et in uno speciatim indefectibili Centro, ne quisque in Ecclesiæ divisionibus cogeretur dignoscere per se Pastorum majoritatem (p. 102); — ita nihilominùs, ex alterâ parte, ad extraneorum utilitatem conveniebat Deum huic indefectibili Centro adunatam semper tenere tum Pastorum tum Fidelium partem majori præ cæteris extensione eminentem, ut extranei qui veram Ecclesiam et essentielle ipsius Centrum nondùm noverunt, illuc tamen adduci valeant per illam *consensionem populorum atque gentium et illud ipsum Catholicæ nomen quod non sine causâ inter tam multas hæreses ista Ecclesia sola obtinuit* (2). Inde enim satis indicatur maxima quæ sit, vel humanitùs loquendo, auctoritas, ut infrâ dicemus. — Ergo etc... prob. Thesis.

73. — Observations : — Argumenta in propositione allata si exactiùs æstimentur, jam catholicitatis hujus,

(1) Et reverâ (ut observat Bossuet : *Hist. univ.*, P. II, c. XXVI) V. jam ap. Celsum « ... των απο μεγάλης Εκκλησίας... » (Origen. *Contra Celsum* l. V, n. 59).

(2) S. Augustin. : *Contra epist. Manich.* n. 5, quem illic legere est; et cfr J. de Maistre : *Du Pape*, l. IV, ch. v, ubi ingeniosè versat et reversat considerationem quamdam, quam videre erat jam ap. S. Athanasium : *Orat. 1^a contrâ Arianos*, n. 2 et 3, et in *Quæstion. ad Antiochum*, XLV; — atque inde ap. Stapleton : *Controv. 1^a*, l. I, c. VIII : *Quia à parte nomen habent Protestant.* — Rursùs, V. S. August. : *Contra Faustum*, l. XIII, c. XIII; et cfr Fénelon : *Sermon pour l'Épiphanie*, 1^{re} p.

quæ ex iis probatur Ecclesiæ competere, notio habebitur accuratiùs determinata; atque inde variis occurri poterit objectionibus, ostendendo nempe sufficere simul et oportere quòd catholicitas hæc sit *moralis, exterior, relativa, progressiva et perpetua*. Et quidem

1° universalitas quæ Ecclesiæ attribuitur, non absolutè intelligenda est, sed *moraliter*, juxta morem in Scripturâ solitum, pro maximâ nempe extensione per populos unâquâque epochâ notos, qualem, v. g., suis temporibus obtinuère Nabuchodonosori vel Alexandri ditones. Iis enim Scriptura iisdem ferè verbis ac Ecclesiæ, attribuit universalitatem. (V. Dan., II, 38; I Mach., I, 2, etc.).

2° Neque in hanc universalitatem ii tantum computandi sunt qui verè atque internè credunt aut fidei suæ consequenter vivunt, sed et ii omnes qui *exterius* nomen Ecclesiæ dederunt nec retractaverunt. Ex his enim sicut et illis componitur Ecclesia et efficitur visibilis præ cæteris Christiani nominis societatibus (V. S. August. : *De unit. Eccl.*, c. IV, n. 34). Neque certè solet Deus liberas hominum adhæsiones compellere ultra id quod necesse est ad procurandum finem suum.

3° Ut catholicitas Ecclesiæ fini suo respondeat, et argumentatio Patrum adversùs hæreticos valeat, necesse est quidem Ecclesiam extensione eminere *relativè*, i. e., supra unamquamque hæreticorum aut schismaticorum sectam singulariter sumptam, non autem necesse videtur ipsam pariter eminere absolutè supra illas omnes sectas collectivè sumptas : — nec etiam necesse ipsam quoquo modo eminere supra Infidelium cætus; quippe qui non ut æmulos Ecclesiæ se ferunt nec illius nomen usurpare contendunt, et cæteroquin (etiamsi forsàn vel singulariter sumpti ipsam superare viderentur, non dico extensione, sed forsàn numero) ita aliunde destituuntur auctoritate ut nunquam ei seriò æquiparari valeant. — Quid sit de facto, postea indicabimus.

4° Catholicitas certè non statim ab ipsis Ecclesiæ incunabulis requiri posse videtur, sed tantùm *progressivè* post exacta suæ ut ita dicam, adolescentiæ sæcula, attamen observatu dignum est Deum Ecclesiæ suæ vel ab ortu indidisse quasi quoddam prædestinatæ catholicitatis signaculum, quando, in ipso die Pentecostes, primam efformari fecit Ecclesiam è *Judæis viris religiosiis ex omni natione quæ sub cælo est* (Act., II, 5). Ipse certè satis indicaverat prædicandum fore Evangelium *in universo orbe, in omnes gentes*, non modò ante consummationem mundi, sed et ante consummationem Hierusalem (Matth., XXIV, 14; Marc., XIII, 10). Et reverà jam testatur Paulus de Apostolis quod *in omnem terram exivit sonus eorum* (Rom., X, 18), et Evangelium *in universo mundo est et fructificat et crescit* (Coloss., I, 6). Iis continuò succinunt vel primi Ecclesiæ Patres (V. in *Tr. de verâ Relig.* n. 55). Exhinc autem prout dilatantur mundi cogniti fines, Ecclesia pariter debet extendi, Deo ipsi semper providente missionarios, sufficienter saltem ut suæ semper præeminentis catholicitatis signum conservet (1).

5° Censuerunt tamen quidam theologi argumenta in probationem veræ Ecclesiæ à catholicitate deducta non omni vi destituenda fore etiamsi aliquando contingeret illam intra unam fortè provinciam coarctari, dummodo constet illam tunc temporis Ecclesiam eandem esse quæ antea verè universalis extitit (2) : nunquam enim idem de se probare possent hæretici (Cfr. S. August. *De bapt. contra Donat.*, l. III, n. 3). — Agnoscendum est autem

(1) V. Fénelon : *Sermon pour l'Épiphanie* 1^{re} p. — Cfr S. Augustin. *Epist.* 199 *alias* 80, ad *Hesych.*, n. 46 et s.

(2) Ita Melchior Canus : *De locis theol.* l. IV, c. vi, ap, Migne *Theol.* t. I, p. 339; itemque Bellarminus : t. II, 1^a *Controv. gen.*, l. IV *De notis eccl.*, c. vii, n. 4, 5. — Non proinde ii auctores catholicitatem admisère tantùm *successivam* prout ipsis aliquando perperam exprobratur. Cfr Perrone : *De locis theol.*, P. 1^a n. 224, not. 2.

tum ex argumentatione SS. Patrum, qualis passim invenitur, tum è cæteris etiam argumentis catholicitatem supponi verè *perpetuam*. Et ita communiter theologi.

COROLLARIUM

circa majoris Fidelium numeri indefectibilitatem.

74. — Certè, uti jam post S. Augustinum diximus (suprà p. 203), vera Christi Ecclesia supra singulas christiani nominis societates eminare debet non vacuà tantùm extensione sed etiam « *multitudine filiorum*, » ideoque oportet, in quacumque superveniente scissione, numerum *Fidelium majorem*, — imò et longè majorem, juxta solitum Providentiæ agendi morem (V. ibid. n. 53), — semper *in profectà verà Christi doctrinà perstare, unà cum Pastoribus et dependentè à Pastoribus atque imprimis à S. Pontifice* — Quod ut fiat sine intermisso necesse est profectò Spiritum Sanctum, quemadmodum *Ecclesiæ docenti*, i. e., Papæ et Corpori episcopali assistit ut veram Christi doctrinam infallibiliter doceant; ita et *Ecclesiæ quæ docetur*, i. e., Corpori Fidelium assistere ut veram Christi doctrinam infallibiliter etiam profiteantur, saltem exteriùs (de fide enim interiori V. observata modò p. 272 2º).

Et hoc quidem quod inferimus è catholicitate Ecclesiæ rectè intellectà, confirmatur etiam 1º è *Scripturâ*, Christo nempe illic dicente : «.... *Portæ inferi non prævalerunt adversùs eam* », id est, juxta obviam et communem interpretationem, non adversùs *petram* tantùm sed adversùs *Ecclesiam* in petrâ ædificatam. Si quis enim majorem numerum membrorum alicujus societatis auferret, nonne meritò ille diceretur adversùs eam prævaluisse?... — Item 2º è *Traditione*, quæ semper, videlicet, sicut et « *Conciliorum gravitate* » et « *miraculorum majestate* », ita et « *plebis ipsius judicio* » hæreticos tenuit damnatos, ut ait S. Augustinus (*De utilitate credendi*, n. 35) (1). Qui inde speciatim indignatur adversùs Pelagianos « *dogma popolare* » dedignantés (*Op. imperf. contra Julian.*, l. II, n. 2), « *quasi* » parva sit ejus assertio, quòd in hoc fidei firmissimo et antiquissimo fundamento ipsa toto orbe diffusa non à se discrepat multi-

(1) Cfr Bossuet : 1^{er} *Avertissement aux Prot.*, n. 37.

» tudo. » (*Contra Jul.*, l. I, n. 32). — Hinc et Theologi inter *Locos theologicos* omninò certos annumerare solent fidem plebis christianæ, quia nempe « *collectio omnium Fidelium hunc veritatis Spiritum sempiternum habet* » quem « *habent etiam Ecclesiæ principes ac pastores* » (1); ideoque « *cum dicimus Ecclesiam non posse errare, id intelligimus tam de universitate Fidelium quàm de universitate Episcoporum, ita ut sensus sit ejus propositionis : Ecclesia non potest errare, id est, quod tenent omnes Fideles tanquam de fide, necessariò est verum et de fide; et similiter id quod docent omnes Episcopi tanquam ad fidem pertinens, necessariò est verum et de fide.* » (2) — Memorandum est quippe, consequenter ad ea quæ suprâ, pp. 161 et 204, circa infallibilitatem papalem et episcopalem observavimus, Corpus Fidelium quoque ita suo modo infallibile fore, non quoad ea quæ generaliter quidem tenerent sed per modum opinionis tantùm vel dogmatis simpliciter revelati, verùm quoad ea sola quæ tenent velut dogma Ecclesiæ etiam auctoritate impositum proindeque ab unoquoque Ecclesiæ filio obligatoriè profitendum (3).

75. — OBSERVATIONES circa Ecclesiam tum in se tum

(1) Melchior Canus : *De locis theol.*, l. IV, c. iv; cfr et l. V, c. ult. versus finem. — Cfr forsan et Petav. : *De Incarn.*, l. XIV, c. II, n. 10 et 11.

(2) Bellarmin. : *Controv.* t. II, *De Eccl. militante*, l. III, c. xiv, n. 4. — Item Em. Card. Franzelin : *De div. Traditione*, Th. XII. — Cfr et D. Bouix : *De Papâ*, t. II, p. 605.

(3) Ex dictis videre est quomodò æstimanda sit *auctoritas Theologorum* in doctrinâ Christi interpretandâ. Illi nempe, quum nullas promissiones specialiter habeant, non proinde haberi possunt, etiam collectivè sumpti, tanquam fidei judices aut testes divinitus infallibiles : sed tamen, pro ipsorum studio ac scientiâ, testimonium proferre possunt moraliter certum, saltem ubi concordés deprehendantur, de fide quam Episcopi docent vel Fideles profitentur tanquam in Ecclesiâ obligatoriam. Hoc igitur admissio, ea quæ ita in Ecclesiâ haberi testantur, jam admittere teneris tanquam infallibiliter vera. Non item verò de iis quæ proferunt aut defendunt tanquam opiniones sibi probabiliores vel etiam tanquam veritates, suo judicio, certò revelatas; sed non ita tamen ut eas in Ecclesiâ de fide obligatoriâ haberi certò testentur : tunc enim, etsi eorum consensus non absque culpabili præsumptione sperni nec sine gravi omninò ratione deseri possit, non absolutè tamen habendus est infallibilis.

relatè ad genus humanum. — Ex dictis, jam plura colligere est conducentia ad magis completam notionem Ecclesiae tum *in se*, tum *relatè ad genus humanum* consideratæ; nempe

I^o — Tria sunt in Ecclesiâ quæ, per assistentiam Spiritus-Sancti infallibilia servantur, sed suo quæque modo suoque ordine. Assistit Spiritus-Sanctus Papæ singulariter sumpto ut veram Christi doctrinam toti Ecclesiæ infallibiter injungat. Assistit et Episcopis collectivè sumptis ut eorum major saltem numerus doctrinam Christi à Papâ injunctam infallibiliter Fidelibus prædicet. Assistit demùm Fidelibus etiam collectivè sumptis ut eorum major semper numerus doctrinam ita à Papâ injunctam et ab Episcopis prædicatam infallibiliter profiteatur (1). — Hinc et Papa et Episcoporum majoritas et majoritas etiam Fidelium semper uniti remanebunt, et quidem non modò quia eidem veritati semper adhærebunt, sed et quia connexè ad invicem et ordinatè adhærebunt. Ecclesia nunquam errore corrumpetur nec disjunctione solvetur. Hæc sola existit societas in quâ certum sit tum Civium tum Optimatum majoritatem semper cum Principe in unum consensuram (2).

II^o — Ex dictis in hoc Capite, vera Christi Ecclesia diffusionem et

(1) Infallibilitas hæc quæ ita Fidelibus competit seu, ut aiunt, *Ecclesiae quæ docetur*, dicitur infallibilitas *passiva*, utpote data tantùm ad professionem doctrinæ Christi privatam; — dum, è contrâ, infallibilitas, quæ *Ecclesiae docenti*, i. e., tum Corpori episcopali, tum Papæ præsertim competit, dicitur infallibilitas *activa*; hanc enim ii recipiunt ad docendum; nec cæteroquin ad professionem suæ fidei privatam ullâ infallibilitate passivâ specialius quàm cæteri quique Christiani donari videntur. — Cfr Gregor. XVI: *Triomphe de l'Egl. et du S.-Siège*, ap. Migne: *Dém. évang.*, t. XVI, p. 1054-55.

(2) Hinc videre est quonam sensu dici possit, post Bellarminum (*Controv.* t. I, *De Rom. Pontifice* l. I, c. III), Societatem ecclesiasticam esse Monarchiam aristocratiam et democratiam admixtam, nempe, non eo sensu quòd aristocratia vel democratia possint illi monarchiæ opponi et Monarchiæ potentiam limitare, sicuti fit in *Statibus*, ut aiunt, *constitutionalibus*, sed eo sensu quòd ex ipsâ Societatis hujus constitutione et speciali providentiâ Dei, tum Optimates, tum plebes semper Monarchiæ assentiunt; — præter alias rationes quas ibidem suggerit Bellarminus, videlicèt, quòd Episcopi « veri principes et pastores, non vicarii Pontificis Max. sunt, » itemque quòd « nemo sit ex omni christianâ multitudine qui ad episcopatum vocari non possit, si tamen dignus eo munere judicetur. »

numero saltem relativè majori semper præeminebit inter varias christiani nominis societates. Aliunde, ex dictis in *Tr. de Verâ Religione* (n. 42) religio Christiana, vel humanitùs loquendo, sola est in terris, quæ verè auctoritatem habere possit. Igitur vera Christi Ecclesia maximè conspicuum erit in totâ Humanitate auctoritatis organum. — Porro, quum omnes qui sunt his in terris homines, auctoritatem in multis necessariò quærant (*V. Tr. de Verâ Relig.* n. 23, et hic suprâ, n. 19), et non debeant naturaliter ullam adire quæ ab aliâ eminentiore obfuscatur, hinc naturalis etiam luminis ductu, nisi præjudicia aut cupiditates obsistant, devenire debent ad veram Christi Ecclesiam tanquam ad illud quod quærent magisterium. — Non tamen ideò, quasi è quodam jure naturali, uti Menesiani placebat, istud Ecclesiae magisterium habendum foret absolutè et sine conditione infallibile (*V. suprâ, n. 15*); nec enim ita habendum est vel totum genus humanum, si forte totum audiri possit; sed semper cuique è ratione suâ dijudicandum remaneret, *in unoquoque puncto*, an, apud istud quàm maximæ in terris auctoritatis magisterium, conditiones testimonii historici vel doctrinalis impletæ reperiantur. Hunc autem laborem valdè brevavit Deus, quando Ecclesiam illam quam catholicam facere volebat, fecit etiam infallibilem absolutè et absque conditione. Hoc enim uno puncto semel comperto, sicut in Cap. I^o indicavimus, jam in cæteris punctis non ampliùs est dijudicandum an illa verum dicat, sed tantùm audiendum est quid illa dicat. Quod etiam cuique facile efficit Deus per hierarchicam Ecclesiae organisationem, de quâ in Cap. II^o. — Igitur, summam, Ecclesia nihil aliud est quàm ipsa Humanitas, aut saltem pars eminentior et naturaliter representatrix Humanitatis, jam infallibilitate simul et organisatione à Deo donata ad securam hominum institutionem et errorum condemnationem (1).

(1) Hinc S. Augustin. de Ecclesia Catholica adversùs Donatistas hæc habet: « Quapropter *securus judicat orbis terrarum* bonos non esse » qui se dividunt ab orbe terrarum » (*Contra Epist. Parmen.* l. III, n. 24). Videre est ap. P. Newman (*Hist. de mes opinions relig.*, p. 132) quàm ex his verbis turbatus sit, adhuc Anglicanus.